



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Leonardi Lessii E Societate Iesv Theologi. In D.
Thomam De Beatitudine. De Actibus Humanis. De
Incarnatione Verbi. De Sacramentis Et Censuris.
Prælectiones Theologicae Posthumæ**

Lessius, Leonardus

Lovanii, 1645

Dvb. 1. Quid sit Baptismus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-72898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-72898)

DE SACRAMENTIS IN SPECIE.

DE BAPTISMO. QVÆSTIO LXVI.

Quantum ad ea, quæ ad ipsum Baptisma pertinent.

In Duodecim Articulos diuisa.

ARTICVLVS I.

Vtrum Baptismus sit ablutio?

R

Espondetur; Baptismum esse externam abluionem sub præscripta verborum forma.

Notandum est; Sicut Christus Baptismi auctor, ob suam perfectionem multis nominibus appellatur; ita etiam Baptismus. Et primò dicitur *Baptismus* quia animam abluit à peccatis. Dicitur *Lauacrum aquæ in verbo vite* ad Ephes. 5. v. 26. quia confertur cum verbo spiritualiter viuificante. Dicitur *Lauacrum regenerationis* ad Tit. 3. quia per illud, nouum esse & nouam vitam accipimus: Dicitur *Indumentum*, quia per illud Christum induimus, & velamus nostram ignominiam, ad Gal. 3. Dicitur *Illuminatio*, quia animam fide illustrat, ad Hebr. 1. Dicitur *Circumcisio non manu facta*, quia cor circumcidit, refecans omnia peccata, ad Colloss. 2. Denique dicitur *Crucifixio & sepultura cum Christo*. ad Rom. 6. quia homo moritur peccatis, & quodammodo censetur cum Christo crucifigi, mori, sepeliri, secundum vitam peccatorum.

Varia Baptismi nomina, & vnde.

DVBIVM I.

Quid sit Baptismus?

R Espondeo; Varijs modis posse describi, vt patet ex D. Thoma. Vt, *Baptismus est Sacramentum regenerationis*. Est, *Lauacrum aquæ in verbo vite* &c. Breuissimè tamen, & plenissimè sic: *Baptismus est Sacramentum abluionis sub inuocatione Trinitatis*. Dico *Sacramentum*, quia est genus Baptismi. Dico *Abluionis*, loco differentia.

Vbi aduerte, Dupliciter Sacramentum Baptismi posse dici Sacramentum Abluionis: Primò, Vt sensus sit, *Baptismus est Sacramentum, quod est ablutio*: Secundò, Vt sensus sit, *Baptismus est Sacramentum constans ablutioe & inuocatione Trinitatis, sub qua fit ipsa ablutio*: Priorem sensum amplectitur Scotus dist. 3. artic. 1. Censet enim Sacramentum Baptismi esse solam abluionem: quatenus tamen ordinem habet ad illam verborum formam, ita vt forma illa non sit pars Sacramenti, ex qua ipsam

Baptismi definitio.

Scotus.

intrinsecè constet, sed solum circumstantia quædam externa significationem abluionis determinans ad aliquid spiritale designandum, & efficiens vt fit cæremonia religiosa. Vnde etiam vult totam significationem Sacramentalem esse in sola ablutioe, quamuis ratio, cur conueniat ei talis significatio, sit ordo ad formulam verborum. Sed hæc sententia supra refutata est qu. 60. vbi ostensum est, Sacramenta constare materia & forma tanquam partibus intrinsecis. Et Confirmatur in proposito; Quia ablutio non solum habet necessarium ordinem ad verba, sed etiam ad Ministrum, & eius intentionem, & ad suscipientem: ergo si verba dicuntur forma, vel pars Sacramenti, eò quòd Sacramentum habeat necessarium ordinem seu habitudinem ad illa; etiam Minister, eiusque intentio, & suscipiens poterunt dici pars & forma Sacramenti; quod tamen nemo dixerit.

Soti opinio reuertitur.

Sacramentum ergo Baptismi non est sola ablutio; vt rectè Scotus dist. 3. qu. 1. sed ablutio cum inuocatione Trinitatis, sub qua ipsa ablutio peragitur. Vnde cum dicitur, *Baptismus est Sacramentum abluionis sub inuocatione Trinitatis*, non significatur ipsam inuocationem non esse partem Sacramenti, aut solum in obliquo respicere Sacramentum: sed significatur ordo, quem vna pars Sacramenti habet ad alteram; Ablutio scilicet ad Inuocationem. Sacramentum enim constat ex ablutioe, & inuocatione, talem inter se ordinem habentibus, vt ipsa ablutio fiat sub inuocatione Trinitatis. Nec obstat, quòd Sacramentum Baptismi rectè dicatur *Ablutio*, quia per Synechdochen pars rectè dicitur de toto, & contra: quomodo etiam Sacramentum Pœnitentiæ vocatur Pœnitentia, licet maxima ex parte consistat in Absolutione.

Explicatur definitio Baptismi.

DVBIVM II.

Vtrum ista Ablutio consistat in actione, an in passione?

R Espondeo; In Ablutione quatuor posse considerari: Aquam, Corpus, Contactum aque quo aqua dicitur contingere corpus, & Contactum corporis quo corpus aquam tangit.

Ablutio igitur consistit, non in contactu, quo corpus tangit aquam, (quia hic contactus identificatur corpori, & sic corpus esset materia proxima

3